

10 pinea coniungens inflexae texta carinae.
 illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
 quae simulac rostro ventosum proscidit aequor
 tortaue remigio spumis incanduit unda,
 emersere freti candenti e gurgite vultus
 15 aequoreae monstrum Nereides admirantes.
 illa, atque haud alia, viderunt luce marinas
 mortales oculis nudato corpore nymphas
 nutricum tenus extantes a gurgite cano.
 tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
 20 tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
 tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.
 o nimis optato saeculorum tempore nati
 heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
 23b progenies, salvete iterum! . . .
 vos ego saepe meo, vos carmine compellabo,
 25 teque adeo eximie, taedis felicibus aucte
 Thessaliae columen Peleu, cui Iuppiter ipse,
 ipse suos divum genitor concessit amores.
 tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?
 tene suam Tethys concessit ducere neptem
 30 Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?